

25
ASTRUM VITÆ
IN OCCIDUUM

MORS PARTHENIA

AB

ASTRORUM REGINA
Lucem mutuans
ALMÆ SODALITATI MAJORI LATINÆ

SUB TITULO

BEATISSIMÆ V. MARIAE

AB

ANGELO SALUTATAE

In Cæsareo, & Academico Societatis JESU Col-
legio Pragæ ad S. Clementem erectæ,
& confirmatæ,

*In anno solennium Exequiarum apparatu funebri
panegyrico indicatum.*

E T

Richard. à S.
Vicatore in ex-
positione Can-
tici Canticorū
cap. 39.

Bonaven. in
speculo B. Virg.

LUCI NOVÆ TEMPORALI,
EX QUA ÆTERNA SURREXIT,
ASTRO FULGIDISSIMO
SUPER OMNIA ASTRA,

quo

S. Brigitta lib. Illuminatæ sunt tenebræ amicorum DEI, &
6. revel. cap.
56. desiderium eorum perfectum

VIRGINI DEIPARÆ
AB ANGELO SALUTATÆ
AFFECTU DEVOTISSIMO
DEDICATUM

WENCESLAO CAROLO RUDLOFF
SS. Theologizæ in celeberrima Universitate Pragensi
Doctore, Regiæ Urbis Neo-Boleslaviæ Decano.


Anno à partu Virginis M. DCCII.
Mense Mayo, Die

CUM PERMISSU SUPERIORUM



Vetero Pragæ, Typis Georgij Labaun.





O R A T I O.

 Uid Libitinarius hicce in pyramidatam, molis fabricam assurgens, noctilucisque circum tenebrarum tædis funeraliter col- lucens præsignat apparatus? quid affine cum Regia sæculorum Principis attrati inferiarum ha- bent parietes? quid demum lugubris isthæc funeralium colorum portendit catastrophe?

Capio inventum, Tuūmq; esse inferiale hocce dolo- ris castrum adverto Alma Major Sodalitas. Tu sub hoc funereo mœroris suggestu beatissimas luges Ma- nium Partheniorum exuvias. Ast unde hæc tibi tam subita animi metamorphosis? nuper medias inter lu- Etuosi jejuniij nærias lætissimum occinebas opinion, & serenato in Iridem vultu in missiva annua ad solennia invitante in jubilum excitâras Orbem Marianum, dum prodigiosè transeunte in Matrem Virgine gloriosum, etiamnum Partheniorum de captivitate in libertatem, Mariâ Mediatrixe, de morte ad vitam Illâ Auxiliatrice, de tenebris ad lucem Eâdem Illuminatrice celebrâras transiit.

A

Et

Et sanè non immeritò tuos ad hilaria pròvocabas
Sodales in auspicio felicitatis non desitüræ. At hodie
citharam Tuam Alma Sodalitas in luctum versam yi-
deo, ipsa celestis mate erigenda es. Verùm oblivionem
corrige, & pronupero in serenitatem erigere epiche-
remate: Sodales Tui in manu DEI sunt, & non tan-
git illos tormentum mortis: mori ijs est lucrum, visi sunt
oculis insipientium mori - illi autem sunt in pace. Ipsa
adèò inferiarum nox vitalis lucis est bajula, nox quippe
Mariana sicut dies illuminabitur.

Huic vitæ beatioris exortui proludit labentis sæculi
annus præsens post millesimum septingentesimus se-
cundus. Sumo pennam, & Arithmeticæ numerum for-
Allusio ad An-
num 1702. mo (1) signat hic mortis prodromum anhelo homi-
nis supremum spirantis pectori, manib[us]que glaciatis
innixam tædam: ponè scribo (7) falcatum est hoc
crudelitatis Libitinariæ instrumentum; sequitur (9)
circulus æternitatis; demum (2) secundus; ut pro-
inde asserere fas sit, occasum mortis Partheniæ exor-
tum esse æternitatis secundæ, Mariâ, idest Illuminatâ
secundante.

Nempe illustres manium Partheniorum exuvia Phœnicis sunt bustum, in vitalem reanimantur lucem. Casus Marianorum Antæi sunt lapsus, ut hic casu fortior, ità illi funeris umbrâ surgunt pleniores. Astra sunt, etiam inter fatalis noctis nubila illimis dici ortum auspicantur, neque in squalentem umbrarum stipato-rem vergunt Hesperum, sed in immortalitatis clare-
cunt Phosphorum.

Atque

Sap. 3.
Phil. 1.
sap. cit.

P. 138.

Atque id in præsentiarum cohaminis nostri futurum: utrum mortis Partheniaæ umbra in astrum vitæ clarescat inocciduum. Vires ad hoc conferat Tuus Alma Major Sodalitas affectus; cuius exequi patro imperium

Eò usque fastuosa vanitatisne dicam, an æmulatio-
nis cupida improbis haec tenus conatibus progressa est
mortalitas, ut penetrando cogitatu putrem carnis sco-
tiām, in tabūm liquandam corporis sui compagem,
nominis nihilominus fastum in marmoreis perstructio-
num molibus perennare cupiat. Unde super præcelsa
pyramidum culmina exstrui spectamus Heroum statu-
as, adornari Regum structuras, fastigiata Principum co-
hamina æternitati maritari; & sanè ferrent hodie dum
elogium, si profusæ magnificentiæ suæ perennitatem
tulissent. Verum monumenta tempore fatiscunt, e-
tiam turrītas pomparum moles vastat Libilitina. Suc-
cumbunt urgente furoris turbini aulæ pariter, ac caulæ,
universa in communem recidunt mortis tumulum;

Æquo pulsat pede & pauperum tabernas,

Hor. l. i. ad. 4.

Regumq. turres.

Involvit humile pariter, & celsum caput,

Boët. de conf.

æquatq. summis infima.

met. 7. l. 2.

Nihil facit summorum Dynastarum purpuram, dia-
dema Regum, auratas Pontificum tiaras, loricatas
nihil satellitum cohortes; cæca licet sinè meritorum
diserimine in quorumque cædes vigilat, furit, ferit,
Cumque laurus adversus horrificum cœli fulmen satiſ

tutetur mortales, irrequieta mortis s̄ævities igneum,
parricidij tēlum intorquet, & in laureata capita Princi-
pum, & mitrata Pontificum, & galeata militum, &
pileata Advocatorum. Indē consequitur, ut s̄æpe s̄æ-
pius orbis Proceres in ipso rerum serenissimo ortu, oc-
casum, celsissimo gloriæ solio metam inveniant vitæ,
tumentiūmque centrum cogitationum: in ipsa victo-
riarum pompa, populorum applausu, è scena trium-
phantibus obſtericanti eripiuntur fortunæ, scabella con-
crepant, aulæa tolluntur, & morti in prædam cedunt.
Eò nimirūm res atque spes recidunt mortalium, quò
Astrææ Divinæ rigor severô illô biverbiô contamina-
tum per culpam originalem damnavit hominem; mor-
te morieris.

Gen. 3. Neque hæc tam effera mortis in corpora foret fero-
cia, si pari infelicitatis fato in animos etiamnum non
desæviret. Sed eheu! ingemiscunt nimium sorti suæ
Pſal. 56. v. 7. insensati cunctatores sæculi, quorum pedibus paravit
Pſ. 48. v. 14. laqueum, ut incurvaret animam: quibus via fuit scan-
dalum. O sortem asperam mortalium!

Sed cohibe sævitiem Eumenidum stipendiaria cul-
minum depopulatrix, corporum, animorūmque præ-
datrix Libilitina! obrigesce truculenta collisæ falcis bar-
baries! non plus ultrâ: terminalis isthîc furoris prædarij
Job. 38. v. 11. tui stat colossus Marianus: usq; huc venies, & non pro-
cedes amplius, & bic confringes tumentes fluctus, ad tu-
mulum scilicet Mariani luctûs. quid ajo luctûs? ubi
locuples exultandi est materies.

Illa

Illa enim verò præclara Partheniorum felicitatis est
portio, ut licet funali ferocitatis procellâ concutia-
tur orbis profanior, Mariano non officiat; licet fera-
les sacerdotes mortis calamitatem, calamitosi odiorum
motus, mota furoris nubila sphæram obnubant Libiti-
nariam, Cœlum Parthenium extra sphæram est activi-
tatis calamitosæ; calamitatis turbidæ; astra non tur-
bant ancillares tenebræ, nec aliquid mortis umbra Ma-
nium Partheniorum eripit claritati. Videlicet Tabi-
thæ sunt illustres umbræ, *plene operibus bonis*, vivunt *ad. 9. v. 36,*
post funera: cedunt, non cadunt, abeunt, non obeunt,
desmunt, non pereunt, & mors ijs intermittit vitam, *Sen. ep. 36.*
non eripit. Per ipsa funera aditus ijs patent ad vitam.
Sidus namque inter mortis tenebras rutilat festivius, a-
strain occasum licet præcipitata *oriuntur alibi.*

Ista nempe excellens est Clientūm Marianorum præ-
rogativa, ut in ipsis luctuosis umbris clareant sereniùs,
ex umbra mortis redeant in ortus. Quâ serenitatis gra- *Picinel. in M.*
tia in funestissimo illo, atque ad efferam gentium bar- *Symb.*
bariem tremente calvariæ colle insigniti sunt Sodales,
quando in cruento trabalis ligni horizonte patibulata
solis divini Majestas occubuit. In illa enim lugubri
temporis conditione, nè emoriente vita immortali,
commoreretur vita mortalís, suffecta est Parthenijs
Morientium Mater *pulchra ut Luna, electa ut Sol Ma-* *Can. 6.*
ria, à qua emorituri Clientes non occiduam vitæ lucem
mutuarent.

Ubi namque in deliciosa illa Proto-Sodalis adoptio-
ne patibulatus Salvator filio præfecisset Matrem, Matri
com-

Joan. 19. commendasset filium : *ecce filius tuus, ecce mater tua,*
illico faustissimā Parthenijs apodosi fulminata mors,
Joan. 21. v. 23. revixit vita nunquam emoritura : *exit enim sermo in-*
ter fratres ; quia discipulus ille non moritur. En bea-
tam Sodalium sortis vicem , quorum mors animatur in
vitam , & nox in diem , in vitæ astrum illustratur hun-
quam occiduum ! Prælusuſt æternaturo huic vitæ a-
stro limpidissima illa lucis Angelicæ bajula tot colori-
bus ridens nubecula ; quæ quid amabò in augusto illo
astrorum palatio præsignabat aliud , quæ in Mariano-
rum siderum vitæ fulgorem interminabilem ? dum
enim liliatus ille Paranymphus Spīitus auspicatissi-
mum *AVE* insonuit , luci dixit auspicium , tenebris in-
dixit exitium .

Ever. s. i. de
Ass. B. V. Tranquilla proinde frontem serenitate , collige
gaudiorum cumulum Alma Sodalitas ! vetus expun-
cta est nox , festivior in morte Sodalibus tuis vitæ illuxit
dies , dum optata ipso fato beatificantur apotheosi :
Nempe feliciter cadant , qui in Mariæ sinu recidunt .
Huc huc facit illud piè præsidens Igniacensis Præsulis
chirographum . *non est majoris felicitatis, & gloria, ba-*
bitare in sinu Abrabæ, quam in sinu Marie - tam certus
est Marianus de cœlo, quam si esset in cœlo: roborat atte-
statum subscriptione manus propriæ Anselmus inqui-
s. Ans. de laud
B. V. ens : *impossibile esse, ut pereat quis à Maria respectus.*
Ità enim verò non potest non profligare grassantia sæ-
vientis mortis molimina , qui ex turri fortitudinis sum-
ptum obtendit clypeum ; non potest non triumphare ,
pro quo castrorum acies ordinata decertat . Be-

Bene habet Alma Major Sodalitas ! ingemiscat amo-
dò sub cruento mortis spiculo quispiam : *formido mor-*
tis cecidit super me ; *clypeatus Parthenius inter saevien-*
tes Libitinæ minas impavidus, cùm ceciderit, nan colli *Ps. 36. v. 24.*
detur. Incusat occiduum mortalitatis phænomenon alij : *cooperuit nos umbra mortis* : Partheniæ mor-*ps. 54. v. 5.*
ti umbra æternaturi luminis est anteambula : *fulge-*
bunt justi. Indoleat lamentabili sorti suæ mundi tene-
brio - contexerunt me tenebrae ; deliosum Parthenij *ps. 54. v. 6.*
tetraverbum est : *post tenebras spero lucem.* Hæc hæc *Job. 17.*
astrorum Marianorum est felicitas, post tenebras coru-
scare serenius. Solem dixeris mortem Partheniam,
qua nubes possunt tegere, lucem non eripere ; aut si
malumus ob detractos à frigescente mortis pallore ru-
bores dicere Lunam ; inscribo cum Picinello lemma :
intenebris clarior. Atq; ut anacephalæotico paraphra-
sim stringam laconismo, vitæ astrum est *ab occasu il-*
lustrius. Ut non immerito proinde universa Manium
Partheniorum corona mihi Galaxia sit, in qua illos ve-
lut sidera rutilare meliore censuerim jure, ac Heroas
gentilium umbras in ea scintillare opinata sit veterum
supersticio.

Sed novissima hora est D.D. Sodales Mariani, ut non
obscura discussæ ad tenebras lucis legamus argumenta,
siderumque fulgorem in firmamento Heroum non or-
dine magnitudinis, sed prioritate exortus tantisper spe-
culemur.

Instellato hocce Heroum solio exorta primùm illu-
stris

Istris uubra Reverendissimi, ac Amplissimi Dñi Tobiae
Hohman: Sac:Ord: D.Benedicti Celeberr: Monasterij
Kladrubiensis Abbatis, Dñi in Tuskau, Pleschnitz, & Ze,
min, S. C, Regiæq; Majest: Consiliarij:

Sublimis nomine, & omne:
Virtutis, & Sapientiæ calculo,
Beneficentiæ suffragio
Pater pauperum;
erga miseros
visceribus commoveri solitus,
nunquam stomacho
contra molestos.

Emeritum verticem coronavit tiarata dignitas,
evexitque super multos,
pedata humilitas
locavit ad pedes omnium;
In uno sublimabatur animus
ad Cœlum.

Abbatem dum induit,
Monachum non exuit.
alternis lucens, ac latens,
ut sidera s̄everunt.

Ex ortu suo Religiosis præstigit,
quod solo sidus,
dignus sanè solio siderum.

Id quoque egit Adm. Reverendus, Religiosus, ac Exi-
mius P. Bartholomæus Christelius è Soc. JESU, Sacro-
San-

Sanctæ Theologiæ Doctor, Collegij Academicij Soc:
JESU Pragæ ad S. Clementem Rector.

Augustale videri potuit Virtutis, & Sapientiæ
Animus Eximius.

Illico puerο arrisit natura,
dum animam bonam in voluntatem concessit.

Nihil in illo puerile fuit præter ætatem,
& hanc DEO transcripsit,
dum annos septem solum infantia,
septuaginta Divinæ impendit gloria.

Soc: JE SU authoratus indefessum se probavit JESU
Socium,

tam arctè semper Christo adstrictus;

ut solvi non posset:

non horas DEO Sacerdos,

sed momenta dicabat;

tam zelosus in vita Ecclesiastes,

ut etiam post funera

calentes Orbi gigneret Prædicatores

famosus tomorum Author.

In Philosophicis, & Polemicis mirata Academiæ
Eximum Doctorem,

Collegia, & Domus Professorum annis 14. honorem,
professa

Rectori, & Præposito.

Provincia annis 3. coluit Provincialem;

Ipsa septicollis orbis Urbs iteratò Eum reverita
ut Procuratorem, & Electorem Præpositi Generalis.

Astra æmulatus motu negotioso,
quorum *requies est inquietus*.
Astrorum itaque in vita corrivalis,
quidnî in morte contubernalis?

Atque his etiamnum Splendor meritorum inferuit ill-
lustrissimam mentem Illustrissimi D. D. Francisci Ca-
roli S. R. J. Comitis de Waldtstein, S. C. Regiaeque Ma-
jestatis Camerarij, & Districtûs Podbrdensis Capitanei,
Dñi in Drahonitz, Dvvertitz, & Magno Ustenitz.

Validus fuit genere,
Magnus virtutis Nobilitate,
Utroque Illustrissimus,
Sibi obscurus alijs fulgebat.
Virtutem cùm latere putaret suam,
eminus conspiciebatur.

Priùs sibi imperare, & parere didicit,
quàm alijs legem tulit
Districtûs Capitaneûs.
Priùs terrore correxit,
quàm poenis absumpsit
Leo Waldtsteinicus.

Scribe Musa
Petre gentilitiæ gnomona:
ardua virtutem.

Generis, & Virtutis Lumen
extingvere mors voluit,
non potuit.
Offendit falce petram;

&

& scintillas excussit perennaturas;
dum,

Illusterrima Comes Umbra
nacta est Comitem
lucem perpetuam.

Æternaturæ huic vitæ felicioris luci associavit se se Il-
lusterrimus animus Illusterrimi, & Excellentissimi
DD. Maximiliani S. R. J. Comitis de Thun, Dñi, in Klö-
sterle, Felixburg, Fünfhunden, Teschen, Bensen, ,
Schauschitz, Zbislaw, Eyla, Matarel, Maretisch, & Aich-
leüthen &c. Aurei Velleris Eqvitis, S. C. Regiæque
Majest. Actualis intimi Consiliarij, Camerarij.

Illusterrimi Nominis etymon
prodit Excellentissimum,
à
factorum Excellentia

Alcidem.

Ob gloria
pro DEO, Cæsare, & Patria
impendia
meritum retulit stipendum
Vellus aureum.

Splendori Sangvinis, & Virtutis
adjecit, & Sapientiæ
S. C. Regiæq; Majestatis intimus Consiliarius, & Came-
rarius.

Dignam ratus genere occupationem,
Pro sapiam Virtute, & Sapientiâ excolere.

Hunc tamen operum splendorem mortis nubila offuderunt,
at non totum.

Corruscat hodie dum à mortis umbra Illustrior :
Non enim extingvi se patitur sidus
æternitati natum,

Huic vitæ perennitati aliud rursus natum est sidus,
nempe Adm. Rdus, Religiosus, ac Eximus Pr. Andreas Münzter è Soc: JESU, SS. Theol. Doctor, Collegij Brunensis Rector.

Astrum certè fuit grande Sapientiâ, & Virtute ;
punctum tamen credebat se se
sui despicieniâ.

Tam integra moribus anima ;
ut cùm homo esset,
humánum penè ageret nihil.
humanissimus tamen amabatur ab omnibus,
sibi infendebatur.

Dignus ob virtutum merita & exempla,
qui & Novitijs Magister, & Patribus tertiae probatio-
nis Instructor,
& Convictoribus Pragæ Regens
præponeretur.

Probârunt Doctorum capita in privatis, & publicis
hoc caput,
& invenerunt, quòd sit totus caput,
Philosophiæ, & Theosophiæ Doctor
Andreas.*

Collegia cùm rexit

*fortissimus.

Bru-

Brunense, Vetero-Pragense, Carolo-Ferdinandeum

Rector Magnificus,

ut Pater protexit,

Quam regendi, & agendi gratiam

Provincia cum suspexit,

ut Procuratorem Romanum meritissimum respexit.

Mortis demum nubilo interceptus

ceu Sol

radios vitae hodie dum evibrat clariores

in lactea Heroum Olympia.

Heroo pariter Astrorum Essedo adlecta est virtus Illustrissimi D. D. Helfridi L. B. de Kayserstein, Domini in Starckstadt, Wolesschna, Kaczovv, Khlum, & Radikowitz, S. C. Regiaeque Majestatis Actualis Camerarij.

Nulli vitio fuit subiectus

Illustrissimus *Liber Baro*;

Virtutum tamen mancipium esse voluit,

Credebat

Sine hac servitute nullum esse *Liberum Baronem*.

Arctissimo Virtutis cingulo arctatus

id præcisè faciebat, quod licuit,

non quod libuit.

Virtuti etiam sociavit Sapientiam

S. C. Regiaeque Majestatis Actualis Camerarius.

Sic inter se certabat utraque,

ut dubium reliquerit:

utra alteri fuerit superior.

His veluti duabus alis

urgente fato
fusculit sese ad immortalitatem,
dignus luce immortali.

Eandem felicissimè meritis suis assecutus est Illustrissimus, & Reverendissimus D. D. Godefridus Kapaun L. B. de Svvojkovva, DEI, & Apost. Sedis Gratiâ Episcopus Reginæ-Hradecensis, & Samandriensis, S. C. Regiæque Majestatis Consiliarius, Dominus in Chraſt. &c.

Novum rursus cœlo fidus
adscripsit Virtus infulata
Illustrissimum, & Reverendissimum Antistitem.

Dignus profectò inter cœli sidera sede,
qui meritis implevit Ecclesiam.

Verita tiaratum verticem mors
sola non accessit ;
agnatus suppetias tulit stipator prædæ
somnus.

In lecto struxit lethum
agressa improvisò
minimè improvisum ,
reperit Episcopum custodem ,
ante iustum præmunitum :
nè percelleret spiculum imprævisum ;
morti tamen paruit, non pavit,
meritorūmque magis, quam annorum ponderi succubuit

Præful Reginæ-Hradecensis,
ut in Regia empyrei festiviùs exoreretur.

Parem vitæ immortalis exortum in occasu vitæ mortalis inchoavit Illustrissimus D.D. Joannes Georgius S. R. I. Comes de Clary, & Aldringen, D. in Teplitz &c. S. C. Regiæque Maestatis Consiliarius.

Clari Sangvinis à Majoribus ducti meminit

Illustrissimus Dnus Comes Clary;
nè obscurus autem Nepos videretur,
Virtute, & Sapientiâ animum ita excoluit,

Ut meritum se probaret,
qui Augustissimo solio Consilia adferret
S. C. Regiæque Maestatis Consiliarius.

Occubuit tandem & hoc Claritatis sidus,
sed astrorum more

suis non sibi.

Videri desijt, non vivere.

Vivit adhuc superstes vitâ memorix,

gaudetque inter Empyreis sidera,

claritatis inocciduæ sede

claritate pellucidus,

comitate Joannes

Comes Clary.

Sed ab astris Illustrissimis ad Te Viatricem terræ adhuc incolam me converto Alma Sodalitas! Edissere, porrò utrum quodpiam importuno cordis amarori linqvendum sit spatium, dum tam festivum Clientum Partheniorum manes ab ipsa mortis Marianæ umbra vitæ fulgorem felicissimè mutuârunt? Sile jam,

pro-

proinde epidicia, occine epinicia, lessum corrigē, pē-
ana acclama, threnodiam excute, ubi illustre jubilo-
si celefsmatis habes argumentum. Sepulchralis taxus
in victricem ijs assurgit lauream, lugubris mortis cu-
pressus in perennaturæ vitæ foliatur cedrum: utra-
que, & laurus, & cedrus erecto in cœlum vertice astra-
nuspia occidua veneratur. State proindè astra feli-
cissima manes Parthenij! state sidera jam non erratica,
sed in æternæ tranquillitatis firmamento beatè fixa!
State penes stellam nunquam occiduam Matrem Ve-
stram! Vita mortalis vestrū Illi conjunxit affectum,
immortalis Vos cum affectu nunquam separandos Ei-
dem adjunxit. State! ego cado: fulgete in perpe-
tuas æternitates, ego in umbris exortus silentarius oc-
cido tenebrio: vester namque illustrissimus claritatis
fulgor obscuræ Oratorum umbræ silentium
indicit, D I X I.

A. M. D. G.

S. n. : 30